Quelle: https://manuscripta.at/?ID=47062
Copyright: Stams, Zisterzienserkloster

Episcopus Augustanus I. Anno 1266. die 18. Octobris. Vir omnem virtutem incumbens: candore, comitate, et obedientia prudentia vivum in omnibus exemplum praebens: cumque multa laude digna Diocesi Augustana praestitisset, pie in Domino obdormivit anno 1293. 14 Junii in suo Monasterio majore Ecclesia ex cornu Evangelii prope gradum Presbyterii summi altaris terre mandatus.

18) Vide supra Add. 8. Quousque Ludovicus Bejus et Meinhardus Tirolensis Conradinum comitati fuerint, non prorsus certum est. Aventinus l. 7. c. 8 scribit. Sub idem tempus Conradus nepos Imperatoris Friderici secundi, crebris legationibus ab Italiae urbibus, vlaritum, paternumque regnum repetiat, evocatus, consilio matris, comitibus Friderico filio Hermanni Austriae atque Styriae ducis, annuente Ludovico Italiam petit, Veronae atque Mantuae maxima omnium gratulatione excipitur. Hoc Ludovicus specie comitiorum Augustalium in Germaniam iussu Pontificis Max. revertitur. Bzovius Annal. Eccl. ad an. 1267: quod Duces Bavariae fieri (ex Clemente IV) multa indignetur itinere quo Lucam usque venerant, perpetrasse, in eos se inquirere quae animadvertere quae velle, Carolo perscribebat Verona. Brunner Annal. Boic. l. 14: Conradinus IV. Id. Januar. Verona profectus per Landensem agrum Pisam pervenit; ibique bimestri (usque ad finem Martii) stationis habitis, Genuam, inde Pisas mense Maio accessit, tanto vbique Gibellinorum plausu excepitus, vt mirum non sit incanti adolescentis aures adulans Pontificis minas obsurduisse. Genua igitur conscendebat, quando die V Aprilis, in quam eo anno Coena Domini cadebat, diris a Clemente devotus est Conradinus cum affectis et fautoribus suis. E bulla excommunicationis, quam Bzovius et Raynaldus exhibet, adverto sequentia: Clemens Episcopus Servus Servorum Dei. Ad certitudinem praesentium et memoriam futurorum. Dudum ad Apostolicae sedis perlatae notitiam, quod Conradinus nepos quondam Friderici olim Romanorum Imperatoris inconsulte nimis et temerarie ambitionis spiritu concitatus, non solum ad obtinendum Romanum conabatur Imperium; sed sibi Regnum Siciliae intitulare non veritus, subejusdem regni titulo sibi nomen regium adscribebat, etc. exponitur deinde, Conradinum mandatis Apostolicis, ne regnum Siciliae affectaret, non obtemperasse; poenas intentatas contemnisse; Hetruscos et Siculos ad defectionem a Carolo concitasse; Italiam contra mandata Apostolica ingressum esse; Veronam intrasse; Veronae excedere jussum, non obtemperasse; Alioquin (nisi a pretensione Siciliae abstineret) ipsum regno Hierosolymitano, et omni jure, siquod habebat in eo, apostolica ex tunc auctoritate privavimus: et vassallos ejusdem liberos constitutos, ab omni juramento fidelitatis absolvimus, signo

[In itinere igitur versus Genuam aut Pisas versabatur.